

Petrus de Vinea

*Ep. II 42 (Casualis uindictae
seu potius uictoriae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 42 (Casualis uindictae
seu potius uictoriae...)*

1248

Fidelibus suis, de uictoria habita contra Parmenses post expugnationem suam.

1. Casualis uindictae seu potius uictoriae nostrae plene principium, quod post sinistrum castrorum nostrorum combustionis euentum nobis diuina potentia, solita nostris adesse suffragiis, de nauali Mantuanorum rebellium depressione contulerat, precedentis ad uos litterae nostrae stilo commisimus, ut coram uobis totius rei seriem ueritas descripta dissereret, quam fama diuersis discussa relatibus poterat uariasse. 2. Nuper autem, quod manus Altissimi, pugnans pro nobis, titulis nostris undique uictoriam gratiae prosecutionis adiecerit, fidelitati uestrae tenore presentium reseramus. 3. Pridem dum collectis undique uiribus nostrorum fidelium, quorum celeri fulti presidio ciuitatis Parmensis proteruiam, per aggressiones continuas, multo artius solito uictoriosae perstringimus, die quadam ad expugnationem duorum castrorum Parmensium, quae rebellium incauta temeritas ad stratae nobis aditum precludendum post recessum nostrum de castris Victoriae occuparat, potenter serenitas nostra processisset, accidit quod magnam partem Parmensis militiae, in friuolum castrorum ipsorum subsidium destinata, acies una nostrorum fidelium, ab exercitu nostro diuisa, ipsam uiriliter et potenter aggrediens in nostri nominis uirtute uiriliter expugnauit: ex quibus, centum et ultra gladio uictoriae peremptis, sexaginta de melioribus casus ille sic subitus nostro carceri aggregauit. 4. In cuius etiam cedis excidio, quod uobis nuntiamus ad gaudium, illum famosum et antiquum proditorem nostrum, Bernardum Rolandi Russi, huius papae sororium, totius partis aduersae caput et caudam,

immo totius factionis Ytaliae patratores, uindice mucrone noueritis occidisse. 5. Ex quo nobis fiducia iam firma promittitur, quod, nequitiae capite sublato de medio membrisque, quae ipsius perfidia palpitabant, spes quaelibet resistentiae de cetero decidatur.